

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0585

0583

0589

0579

0594

0574

0634

0534

0684

0484

1084

0084

Ende

Anfang

XXXIV. Est honorabilis omnibus hominibus. Nam hos milites Imperator honorat, reges, principes, comites et barones, similiter Papa, cardinales, episcopi, et omnis clerus et religiosi, plebeji et vulgares, senes et juvenes.

XXXV. Militia nostra pretiosior est, quia majori pretio et pluribus expensis acquiritur, praesertim si miles peregrinatur ad sanctam Catharinam. Etsi in alia militia major expenditur pecunia, hoc fit vel inutiliter, vel ad saecularem pompam, vel ex prodigalitate, quod totum non habet locum in nostra militia.

XXXVI. Nostra militia est magis disciplinativa. Videmus enim communiter, quod milites sancti sepulchri sunt magis modesti et disciplinati, seriosi et melius morigerati, quam illi milites bellorum.

XXXVII. Est nostra militia fructuosior multis viis et modis. In militia enim nostra miles absque libris studet multa veteris et novi testamenti facta, cum per loca sancta circumducitur. Inde est, quod milites illi ut communiter plus et clarius et certius sciunt loqui de historiis Bibliae, de passione Domini, et de aliis, quam multi sacerdotes. Ut patet fol. 9. A. Ibi miles multis experienciis prudens efficitur, ut patet in 27 articulo. Et praeter haec ibi conteritur, confitetur, indulgentias copiosissimas consequitur, ex quibus omnibus multus fructus crescit in omnia. Vide fol. 8. A.

XXXVIII. Militia nostra est fidelior, quia valde firmi et boni catholici sunt communiter milites sancti sepulchri, vident enim ad oculum, quod nostra fides est ratiocinabilior et virtuosior quam quorumcunque aliorum, de qua fide nulla habetur cura in alia militia.

XXXIX. Patet ex omnibus praefatis, quod nostra militia est magis meritoria vitae aeternae, quam vitam alii milites non solum non merentur, sed demerentur, cum communiter vitiosi actus ad eam requirantur.

XL et ultimo. Militia nostra hierosolymitana est felix militia. Miles enim sancti sepulchri in peregrinatione existens felix profecto est, quia, si in via moritur, statim evolat, nec purgatorium intrabit. Vide de hoc sanctum Thomam in Qu. V. Qu. VII. 7. ar. 2. Insuper, sicut felix est, qui in superna coelesti Jerusalem Deum contemplatur, sic suo modo felix est,